

649

Sommerwerk

its

N

Lennzka u


Wittenberg

n

TRIA
UNIVERSÆ PHILOSOPHIÆ
FORTALITIA,
DISTINCTIS AGGERIBUS SEPTA,
SUB UMBRA ET TITULO
PERILLISTRIS, PRÆNOMBILIS,
GENEROSSI AC GRATIOSI DOMINI,
DOMINI
GERHARDI CORNELII
DE WALRAVE,
REGIÆ MAJESTATIS BORUSSICÆ
COLONELLI, SUPREMI FORTALI-
TIORUM DIRECTORIS,
IN ABBATIA AMMENSLEBIENSI O. S. B.
DEFENSA,
PRÆSIDE REVERENDO PATRE
HERMANNO SCHLADE,
PRÆFATI MONASTERII PROFESSO P. T. LECTORE
ORDINARIO,
PROPUGNANTIBUS REVERENDIS ET RELIGIOSIS
FRATRIBUS EJUSDEM LOCI ET ORDINIS PROFESSIS,
F. PLACIDO TRIER.
F. FRANCISCO SCHILLER.
F. CAROLO RIKES.
F. CÆLESTINO SMITZS.
F. MAURO VANSCHENE.
ANNO 1733. DIE OCTOBRIS.

MAGDEBURGI,
Typis Andreæ Mülleri & Gabrielis Gotthilff Fabri.

APOSTROPHE
ad Generosissimum Dominum Colonellum
in Agalma ejusdem Gentilitium.



Fers Aquilam Corvum, fers Vallum Nobilitatus,
Rex dedit hæc factis præmia digna tuis,
Te Jovis intrepidum, Phæbi notat ingeniosum
Ales, at expertum Dædala Valla notant.

PERILLUSTRIS, PRÆNOMBILIS,
GENEROSE AC GRATIOSE
DOMINE,



uem alium fortalitorum Phylosophicorum Protectorem aut
quærere aut exoptare possumus
nisi TE, GENEROSISSIME
D. COLONELLE, qui Regio-
rum fortalitorum Supremus.
Director, nostra etiam Phylosophica non despicias,
nosti etenim Martem & artem, ut nomine ita
opere sibi vicinos esse, sine arte enim immitis est

A 2

Mars

NON

Mars, sine Marte inermis est ars, Mars tractat
missilia, scientia eudit consilia. Ne temere illa
iaciantur, hæc facit ut sapienter dimicetur, ille
ut fortiter vincatur, geminas nec sine plausu di-
dicisti, nec sine fructu possides, possèmus nisi
prolixi esse refugeremus, & cæteras scientias enu-
merare, sed transmissis istis solam in partes no-
stras vocamus Architectonicem, quæ quidem
ipsa, si Platoni habeatur fides, scientiarum omni-
um est compendium, cuius iudicio probantur
omnia, quæ in cæteris artibus perficiunt opera,
in hac quantum excellas, totus intuetur orbis,
æstiment periti, laudantque ad unum omnes,
solam appello Parthenopolim, in quâ fortifican-
da tota se eviscerasse videtur architectura, adeo
ibi omnia sunt ad Bellonæ regulas exacta, ut to-
tius Regni Borussici iudicetur pulcherrima, nec
vix unam tota habeat Germania, cui liceat cum
illa de palma contendere, quid de Stettino, We-
salia, quas suis è ruderibus in ordinem ita præ-
clarum erexisti, ut prodigio vix ullibi viso nullus
ab architectonica præscripto deflectat angulus,
nulla prævaricetur tot parietum & Vallorum
particula. Magnificentia omnium, nostram ex-
cedit facundiam, omniumque, qui rerum tuarum
non

non fuerunt oculati arbitri fidem. Alto etiam-
num hæret animo pluriumque suffragiis com-
probatum est invictum animi tui robur, orbis
perspexit Martiale pectus tuum, obstupuerè, quot-
quot cinxerunt Stralsundam, virtutem Heroi-
cam, qua Duce Valla hostilia impavidus per-
rupisti, admiravere Magnates in te vivum mi-
litaris fortitudinis Propugnaculum Magnanimi-
tatis exemplar, quod in glandium ferrearum
imbre ut marmor & petra duravit, ad tor-
mentorum fulmina inconcussum persitit; ad-
iiceremus Bello Gallico præclare facta, sed ve-
remur, nè Encomiis ita claris vultus tui pro-
vocemus ruborem, ægrè tamen illa accipere
non poteris, quia à viris sapientissimis pro-
nuntiata, passimque omnibus perspecta, imo
quia in operibus manuum tuarum sunt, in
Theatro sunt, in quo fallere oculos ac præ-
teriri non possunt; Perspectam habet, pro-
batque tuam singularem in Militaribus experi-
entiam, insolitam in fortificando soliditatem,
in soliditate venustatem CAROLUS Sextus,
Romanorum Imperator Augustissimus, quando
nuperè non sine æterno nominis tui decore,
Propugnacula Philippopolim & Kehl supremæ

A 3 dire.

directioni tuæ commisit, apprimè gnarus; non posse non omnia rite esse comparata, quando ad Clavum sedent Mars & Scientia, taceo favores insolitos Regum, S. R. I. Principum, Electorum, aliorumque primæ nobilitatis Capitum, quos omnes, si ad numeros revocaremus, id quidem non sine amplissimo nominis tui fieret ornamento, re tamen ipsa ne faciamus, & nostræ nobis vires obnuntiant, & angusta unius Epistolæ spatia, ita nimurum Siracide teste, **Homo ingeniosus** placebit Magnatibus, at exploratum habemus undetantus Summorum Capitum erga te promanet amor & confidentia, præter quam enim quod amplissimos illos favores solis animi tui dotibus promereare, habes insuper tot tamque prolixa à Majoribus tuis in S. R. I. collata merita, quæ velut hereditario iure in te transfusa gratias illas omnes exæquant, quæ cum pari generositate in Abbatiam nostram copiose defluxerint, in grati animi memnosynon has tibi Theses dedicamus, sumus quidem ipsi totus tibi liber, in quo possis beneficia tua, & nostra quæ contraximus debita percensere, speramus tamen hanc debiti nostri syngrapham gratioſo à te acceptum
iri


iri vultu, nos interea Deum optimum enixè ro-
gabimus, ut Dominationem tuam perillustrem
quam diutissimè servet incolumem, vota ne-
ctentes:

LVstra prVDenter fIrMa à VVaL-
raVe potenter
arCes ense tegens IngenIoqVe re-
gens.

fLorea CornELI tIbI Donent sæCV-
La CæLI,
VIVe Deo, regI, ConspICVoqVe
gregI.

LECTOR & DISCIPULI.

FOR-



FORTALITII PRIMI,
SIVE
LOGICES AGGER PRIMUS.



cepta Logicæ definitio est, quod sit facultas recte definiendi, dividendi & argumentandi; est vere & proprie dicta scientia, simpliciter speculativa. Artificiosam iuxta suas regulas obiectorum dispositionem (quam Ens rationis appellamus) pro obiecto formalī sibi vendicans.

2.

Memoratum Ens rationis dari, ratio dictat, consistitque in esse factio ad modum Entis, quod Ens non est, solum habet esse objectivè in Intellectu humano, non Divino.

3. Divi-

3.
Dividitur autem hæc Logica Artificialis in docentem & utentem, non tanquam in diversos rea-
liter habitus, sed gemina eiusdem facultatis munera;
ad alias scientias totales ne dum in statu perfe-
cto, sed & imperfecto acquirendas absolute requi-
ritur.

4.
Dantur à parte rei naturæ communes realiter
à singularibus non distinctæ, ne mediæ quidem di-
stinctio[n]e Scotistica, sed solâ ratione obiectivè pra-
scidente, distinctione virtuali intrinsecâ funda-
mentum præbente.

5.
Cum hæ naturæ à parte rei universalitatem Lo-
gicam non appetant, hanc formalitatem in se reci-
piunt per actum simpliciter comparativum; Defi-
nitur autem universale Logicum esse unum respi-
ciens multa, ut aptum illis inesse.

6.
Primum differentias sui divisivas actu, & for-
maliter non includit nec viceversa, in unica specie
B sal.

(10)

salvari non potest, licet species in uno individuo
salvetur. Natura Angelica supposita repugnantia
plurium individuorum solo numero distinctorum
non potest esse universalis logicè & positivè. Spe-
cies qua prædicabilis in universalium venit nu-
merum.

7.

Inter decem prædicamenta primatum obtinet
substantia, bene definitur, esse Ens per se complete
subsistens; increata ab hoc prædicamento evidenti
ratione excluditur, secundum consistit in exten-
sione partium, in ordine ad se dividitur in quantita-
tem continuam & discretam.

8.

Relatio dividitur in prædicamentalem & tran-
scendentalem: prædicamentalis distinguitur a funda-
mento. Formaliter terminatur ad aliquid abso-
lutum, unitatem specificam desumit ab unitate spe-
cifica fundamenti & termini, numericam ab unita-
te vel distinctione subiecti.

9.

Propositio est oratio enuntiativa alicuius de
aliquo; mentalis est simplex qualitas, ex duabus
con-

contradictoriis de futuro contingente præscin-
dendo, à Decreto divino nulla est determinate
vera vel falsa propter indeterminationem obiecti-
talis propositionis.

10.

Demonstratio est Syllogismus generans scien-
tiam. Assensus præmissarum cum se habeat sicut
causa naturalis ad suum effectum, efficienter & phy-
sicè causat assensum conclusionis.

II.

Concessis præmissis sive evidentibus sive pro-
babilibus, & clarè cognita bonitate illationis, intel-
lectus necessario infert conclusionem, necessitate
tam specificationis quam exercitii.

12.

Scientia ita opponitur opinioni, ut quoad
actus in eodem intellectu circa eandem conclusio-
nem sese compati non valeant, eoquod in sub-
iecto collocent effectus formales incompatibilis.

B 2

FOR-

15 (12) 50

FORTALITII SECUNDI; SIVE PHYSICES AGGER PRIMUS.

1.

Physica est scientia speculativa, cuius obiectum formale est ens mobile radicaliter sumptum, huius in statu generationis tria sunt principia intrinseca, materia, forma & privatio. In facto esse Materia & forma.

2.

Materia prima ita est pura potentia, ut ex se nullum omnino includat actum, ita inexistentia à forma substantiali dependens, ut sine omni existere nequeat Divinitus, nec etiam supernaturaliter habere potest duas formas substanciales totales pro eodem tempore.

3.

Compositum constat tum ex materia, tum forma, tanquam ex diuisibus partibus essentialibus & intrinsecis, quæ immediate inter se uniuntur sine ulla entitate, seu modo unionis illis realiter superaddito.

4. Cau-

4.

Causa bene definitur principium per se influens esse in aliud, duæ totales eiusdem generis & ordinis simul aut divisi applicatae, nec Divinitus producunt eundem numero effectum.

5.

Nulla substantia creata, nec adeo forma substantialis est principium immediatum & proximum quo producendi aliam substantiam, sed indispensabiliter utitur potentiis sibi superadditis.

6.

Causa prima concurrens cum causis secundis ad omnes earum effectus, tam simultaneè, quam prævie physice præmovendo & prædeterminando non modo obest, sed prodest libertati humanæ, hinc malè inferes Deum prædeterminantem esse auctorem peccati.

7.

Ratio finalizandi in actu primo est sola bonitas realis vera, aut saltem apprens. Motus Physicus est actus entis in potentia, prout in potentia unitatem specificam accipit ab unitate termini

B 3

ad

ad quem formalis numericam ab unitate tum mobilis, tum etiam termini simul ac temporis.

Implicitat infinitum in omni genere. Locus nec duo quanta simul capit, nec omni quanto evacuatur nisi Divinitus, at ne sic quidem unicum quantum à duobus locis simul capitur circumscriptive.

9.

Continuum non componitur ex meris indivisibilibus, sed ex partibus in infinitum mathematice divisibilibus, per ipsa indivisibilia unitis. Terminus generationis est totum compositum, corruptionis suppositum ut depositum, fitque resolutio usque ad materiam primam.


10.

Terminus augmentationis & diminutionis est major & minor quantitas. Alterationis qualitas, quæ per majorem vel minorem sui in subiecto radicationem intenditur vel remittit.

II. Ani.

35 (15) 50
 Anima est actus primus corporis organici,
 potentia vitam habentis absque forma corporei-
 tatis. Dividitur adæquate in vegetativam, sensi-
 tivam & rationalem, una est in quolibet com-
 posito.

Anima rationalis est forma informans spiri-
 tualis, eminenter formaliter continens animam
 sensitivam & vegetativam, eius potentiae & ab
 anima & inter se distinetæ sunt intellectus & vo-
 luntas.



FORTALITHII TERTII, SIVE METAPHYSICES AGGER PRIMUS.

Metaphysica recte definitur, Phylosophia seu
 scientia speculativa, quæ occupatur circa ens
 reale commune Deo & creaturæ substantiæ & ac-
 cidenti quatenus ab omni materia segregatum.

Ens non habet conceptum perfecte præcium à suis inferioribus, transcendent enim & formaliter includitur in ultimis eorum differentiis hinc Deo & creaturæ substantiæ & accidenti solum est analogice commune.

In omni ente creato realiter distinguuntur essentia & existentia, quæ est realiter indistincta à subsistentia, consistit in aliquo positivo, unaque cum existentia ultima rei actualitas dicitur.

O. A. M. D. G.



M


Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-205699-p0020-5


01 A 6643



80-

2





TRIA
UNIVERSÆ PHILOSOPHIÆ
FORTALITIA,
DISTINCTIS AGGERIBUS SEPTA,
SUB UMBRA ET TITULO
PERILLUSTRIS, PRÆNOMBILIS,
GENEROSSI AC GRATIOSI DOMINI,
DOMINI
GERHARDI CORNELII
DE WALRAVE,
REGIÆ MAJESTATIS BORUSSICÆ
COLONELLI, SUPREMI FORTALI-
TIORUM DIRECTORIS,
IN ABBATIA AMMENSLEBIENSI O. S. B.
DEFENSA,
PRÆSIDE REVERENDO PATRE
HERMANNO SCHLADE,
PRÆFATI MONASTERII PROFESSO P. T. LECTORE
ORDINARIO,
PROPUGNANTIBUS REVERENDIS ET RELIGIOSIS
FRATRIBUS EJUSDEM LOCI ET ORDINIS PROFESSIS
F. PLACIDO TRIER.
F. FRANCISCO SCHILLER.
F. CAROLO RIKEŠ.
F. CÆLESTINO SMITZS.
F. MAURO VANSCHENE.
ANNO 1733. DIE OCTOBRIS.

MAGDEBURGI,
Typis Andreæ Mülleri & Gabrielis Gottschilff Fabri.